

473

471

477

467

482

462

422

372

Ende

Anfang

458

bestias, quam bestiales homines. Et hi pastores omnes in nocte nativitatis ad angelorum jussum ascenderunt in Bethlehem et invenerunt infantem in pannis involutum et positum in praesepio. Potuit tamen esse, quod tres inter eos, qui erant principaliores, alios regerent, et illorum trium sepulchra sunt in ecclesia praedicta. De hoc loquitur venerabilis Beda in Hom.: Pastores loquebantur etc.: sic dicit: Angeli apparuerunt pastoribus in loco, qui a conventu pecorum antiquitus terra gregis vocabatur, et uno milliario ad orientem Bethlehem, ubi etiam nunc trium pastorum illorum monumenta in ecclesia monstrantur. Haec Beda. Quare etiam Jeronymus in epistola ad fratres de vigiliarum sanctitate nominat pastores illos sanctissimos. In custodiarum eorum valle illa fui aliquoties tempore calidissimo, quo omnia virentia aruerunt, et tamen semper in ea vidi greges ovium et caprarum. In alia parte vallis ex opposito Bethlehem est villa in amoeno loco sita, in qua vidimus grandes murorum ruinas, et dicitur ibidem fuisse monasterium sanctae Paulae et suarum virginum. Visis ergo, quae dicta sunt, rursum asinos ascendimus et contra Bethlehem tendimus, in clivo autem vidi mus primaevam dispositionem loci nativitatis Christi melius, quam in ipso loco. Sicut et dispositio sancti sepulchri melius videtur in hortis juxta Acheldama, quam in ipso sepulchro, ut supra patuit. Vidimus enim in clivo Bethlehem petras et rupes latas excrescentes, sub quibus erant cavernae latae, habitacula pauperum, qui propria non habent domicilia. Et talis in principio erat locus nativitatis Christi, ut patebit.

Cumque sursum venissemus ad murum Bethlehem usque, gyramus murum, et juxta fundamenta et petram, supra quam murus consurgit, quaesivimus cavam petram quandam, quam tamen invenire non patuimus. Legeram enim in quodam vetustissimo peregrinali cuiusdam Sancti, quod Domino nato Joseph paravit juxta morem pro parvulo balneolum in urceo, et balneato infantulo accepit Joseph vasculum, et extra diversorum portavit, et sine arbitrio sacrum lavaerum deorsum effudit per murum in ipsas rupes de fundamento prominentes. Consistit enim locus nativitatis in alto, habens clivum praecipitem, et rupes inferius, super quas et ipsum diversorum

